



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Litterae Philippi Regis Francorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

COLONIENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 11.

Gratum gerimus & acceptum quod tu & alij multi Principes Alemannie dilectos filios G. Abbatem Indensem, B. Bunnensem Præpositum, H. Priorem de Vverdt, H. sancti Gereonis scholasticum, M. de Villa civem Mediolanensem, & H. Capellanum quondam inelyta recordationis Richardi Regis Anglorum, G. Canonicum sanctæ Mariæ ad gradus in Colonia, & magistrum P. viros providos & fideles, ad sedem apostolicam destinastis, per eos & litteras vestras & electionis modum & coronationis processum carissimi in Christo filij nostri Ottonis, quem elegistis in Regem, plenius intimantes, ac petentes ut quod à vobis factum fuerat ratum habentes & firmum, auctoritate vellemus apostolica confirmare, ac ipsum Ottonem ad suscipiendam coronam imperij vocaremus. Nos autem nuntios ipsos propter honorem imperij & tam ipsius Ottonis quam tuam & aliorum Principum, à quibus missi fuerant, devotionem, honestatem etiam & probitatem ipsorum, benigne recepimus, & sicut ipsi referre poterunt, curavimus benignius pertractare. Id autem per hæc apostolica scripta tam tibi quam ipsis duximus respondendum, quod ad honorem & profectum ipsius libenter & efficaciter, quantum cum Deo poterimus, intendemus, sperantes quod ipse, sicut catholicus Princeps, in devotione quam progenitores ipsius circa Romanam Ecclesiam habuerunt non solum persistere sed proficere cum honoris augmento curabit. Datum Laterani xiiii. Kalendas Iunij, pontificatus nostri anno secundo.

In eundem modum Comiti Flandria.

In eundem modum Duci Lotharingia & Brabantia Marchioni.

In eundem modum Abbati Verdensi, Mindensi Episcopo, Padeburnensi Episcopo, Comiti palatino Rheni, Comiti de Dasburg, ita quod unicuique seorsim.

Scriptum est super hoc aliis quam pluribus Principibus Alemannia in eundem fere modum.

Bremensi Archiepiscopo & suffraganeis eius. Gratum gerimus & acceptum quod venerabilis frater noster Colonienis Archiepiscopus & alij multi Principes Alemannie dilectos filios &c. *in eundem fere modum usque in finem.*

LITTERÆ PHILIPPI.

Epist. 12.

Reverendo in Christo Patri & Domino Innocentio sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici Philippus Dei gratia Romanorum Rex & semper Augustus salutem & filialem devotionem. Paternitatis vestræ nuntios Sutrinensem Episcopum & Abbatem sanctæ Anastasiæ, viros religiosos & discretos, quos ad nostram destinastis presentiam, benigne recepimus, tum propter vestram & Romanæ Ecclesiæ reverentiam, tum etiam ob ipsorum honestatem, & ea que ex parte vestra ipsi nobis intimarunt ad plenum liquidoque collegimus intellectu. Quod autem præfatos viros tandem nobiscum detinimus, nec eos vestræ remisimus sanctitati, scire vos cupimus id alia de causa non accidisse nisi quod nostrorum hæc tenus præsolantes finem negotiorum, vobis eos post hæc remittere disposueramus, & per eos quid Ecclesiæ & imperij commodis conducere & dilectionem discretioni vestræ insinuare. At nunc, quia divina faciente clementia, per quam universos actus nostros cupimus feliciter prosperari, honor noster debitum sumpsit incrementum, & quic-

quid contra nos adversitatis hæcenus emerferat penè sopivimus & pro nostra credimus deducere voluntate, accepto consilio familiarium nostrorum & fidelium curiæ nostræ prenominos viros ad vos usque remittimus, da quorum non immeritò confidentes prudentia, verbum nostrum per eos vestræ edifferendum duximus sanctitati, rogantes attentius & hortantes vos ut verbis ipsorum fidem adhibeatis indubitatum, & ea que à nobis acceperunt vobis proponenda piè, sicut convenit, & affectuose audire procuratis.

LITTERÆ PHILIPPI REGIS
FRANCORUM.

Epist. 13.

Sacrosanctæ & universalis Ecclesiæ summo Pontifici, carissimo consanguineo nostro, Philippus eadem gratia Francorum Rex, salutem, & tam debita quam devota subjectionis obsequium. Novit sancta paternitas vestra, novit & mundus quomodo nos & progenitores nostri Ecclesiæ Romanæ obedientiam, reverentiam, & in omnibus & per omnia exhibuimus famulatum, nec unquam cessavit devotio nostra, nec cessabit. quod non solum tempore serenitatis, sed & adversitatis, nos & regnum nostrum efficaciter comprobavit. Inde est quod nos de meritis regni nostri & prædecessorum nostrorum & nostris plenius confidentes, sanctitatem vestram quanta possumus affectione rogamus & attentius supplicamus quatenus devotionem nostram & patrum nostrorum, regni etiam nostri sincerius intuentes, vice mutua nos & regnum nostrum & negotia honorem nostrum contingencia oculo benignitatis vestræ dignemini contemplari. Ad hæc, cum Rex Angliæ per fas & nefas pecunia sua mediante nepotem suum ad imperialem apicem conetur intrudere, vos nullatenus intrusionem illam, si placet, debetis admittere quod in opprobrium & detrimendum coronæ nostræ cognoscitur redundare; nec nos credimus quod vos quicquam in presententi statu in prejudicium nostrum debeatis insinere, cum nos vel nostri nihil unquam contra Romanam Ecclesiam attentaverimus, nec unquam per Dei gratiam curabimus attentare. Porro de Philippo Rege Alemannie novit sanctitas vestra quod si aliquando pater ejus vel frater Romanam Ecclesiam in aliquo offenderint, nos dolemus. De querelis autem que inter Ecclesiam & imperium diutius acitate sunt prædictus Rex Alemannie Philippus consilio nostro, sicut asserit, paratus est acquiescere, & pro vestra gratia & Ecclesiæ obtinenda in terris, castellis, possessionibus, pecunia etiam competenti, de consilio nostro se perpetuo foderet vobis & Ecclesiæ obligare. Quod si ipse in hoc consilio nostro non acquiesceret, ipse nos nullatenus amicum inveniret. Ad hæc, de mandato vestro & auctoritate usque ad quinquennium treugas dedimus & fiduciavimus, tamquam qui nolumus in iis vel in aliis voluntati apostolicae contraire, & sicut aliorum presentium & alij vobis poterunt intimare, mandatum vestrum firmiter fuimus profectus.

LITTERÆ PRINCIPVM
Alemannia.

Epist. 14.

Reverendo in Christo Patri & Domino Innocentio sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici, Germaniarum Principes & magnates, in Christo filij, Magdeburgensis Archiepiscopus, Trevirensis Archiepiscopus, Bifuntina sedis Archiepiscopus, Ratisponensis Episcopus, Frisingensis Episcopus, Augustensis Episcopus, Constan-tiensis Episcopus, Eistedenensis Episcopus, Vormariensis Episcopus, Spirensis Episcopus, Brixienis electus, Hildesheimensis Episcopus imperialis aula Cancellarius, Abbas Fuldenis, Abbas Hersfeldensis, Abbas de Tegerse, Abbas Ellvaccensis, item Rex Bœmiæ, Dux Saxonie, Dux Bavarie, Dux Austrie, Dux Meranie, Dux Lotharingie, Marchio Missenensis, Marchio Brandeburgensis, Marchio Moravia, Marchio de Rumelperc, aliique totius Alemannie nobiles, debitum & paratum cum omni devotione & obsequio famulatum. Apostolicæ beatitudinis eminentia, que piis supplicantum desideris & affectibus gratam semper consuevit impetrari benevolentiam & assensum, firmam universitati nostræ certitudinem administrat quod in iis que à sanctitate vestra iustissime postulamus benignitatem apostolicam debeamus & in exaudiendo persentire facilem & in exequendo quod

petimus